

institutio obliquatur, ut successores ab intestato teneantur restituere hæreditatem hæredi instituto in codicillis, detracta quarta: argumento textus in leg. *Scævola. ff. ad Trebellian.* ubi, substitutio directa pupillaris facta in codicillis, obliquatur, & valet ab intestato, jure fideicommissi universalis: ergo similiter institutio directa. Secundò, facit textus expressus & notabilis in leg. *Illud. §. Tractari. ff. de Jure codicill.* ubi habetur, quòd si testator fecit codicillum, & non testamentum; institutio directa universalis in eo contenta, convertitur in fideicommissum, & per consequens censentur venientes ab intestato gravati restituere hæreditatem hæredi instituto in codicillis: & ibi notat & commendat Alber. & communiter DD. antiqui. Tertio, facit textus in leg. *Cum quis decedens. §. Sejam. ff. de Legat. 3.* ubi, si testator in codicillis ademit hæreditatem, vel partem relictam in testamento solemnii, & eam applicavit alteri in codicillis; talis ademptio, & institutio de ea facta in codicillis, valet & tenet, saltem jure obliquo, ut illa hæreditas vel pars restituatur per fideicommissum ei cui fuit relicta in codicillis: & ad hoc illum textum notat & commendat ibi Bart. & Alber. qui dicit, quòd ille textus vix alibi reperitur: & per prædicta jura & fundamenta, istam sententiam & conclusionem tenet Magistraliter Bart. in leg. 1. ff. de Jure codicill. colum. 1. & oppos. 1. licet corruptè alleget textum in dict. §. *Sejam.* idem Bart. in leg. *Verbis civilibus. ff. de Vulg. & pupil. colum. 2. num. 3.* Joan. de Imol. in leg. 1. ff. de Injusto rupt. in finalib. verb. Paul. de Castr. notabiliter, in leg. 2. Cod. de Codicillis, & ibi Alexand. Corn. & Modern. Salic. in leg. *Si idem. eod. tit. quest. fin.*

87 Sextus effectus est, quòd substitutio pupillaris directa contenta in codicillis, obliquatur, & valet jure fideicommissi; cum ex defectu solemnitatis non possit valere jure directo: textus est capitalis & expressus, in leg. *Scævola. ff. ad Trebellian.* quem ibi ad hoc notat & commendat Bartol. & communiter Doctores. Ex quo infertur, quòd si testator fecit filio suo substitutionem compendiosam directam omni tempore, & sit posita clausula codicillaris, obliquabitur post tempus pubertatis: & in terminis ita tenet Bald. dicens esse novum, in dict. leg. *Verbis civilibus. colum. 2.*

88 Sed quia supra visum est de forma & solemnitate testamenti; nunc restat videre qualiter possit revocari? Et resolutivè dico, quòd sequentibus mediis. Primò modo, per rupturam actualem testamenti, scripturæ, sigillorum, vel alterius solemnitatis; vel quando cancellatur, deletur, vel interlineatur aliqua pars substantialis ejus: textus est in leg. *Ad testium. §. Si signa. ff. de Testament. text. in leg. 1. §. Si linum. ff. de Bonor. possess.*

secundum Tabul. text. in leg. *Nostram. Cod. de Testament. text. in leg. Cancellaverat. ff. de His, quæ in testament. delent. text. in leg. 1. ff. Si Tabul. testament. null. extr. text. in leg. Si unus. vers. final. Cod. de Testament.* Et ista est vera & communis resolutio in dictis locis, præcipuè in dict. leg. *Nostram. Cod. de Testament.* & ita disponit lex 24. tit. 1. partit. 6. Unum tamen est, quòd quando rumpitur testamentum & scriptura, revocatur totum testamentum; quando verò cancellatur, vel interlineatur aliqua pars testamenti, non revocatur in dubium totum testamentum, sed tantum illa pars: ita textus in dict. leg. *Cancellaverat.* Et prædicta procedunt nedum in testamento in scriptis, sed etiam in nuncupativo redacto in scripturam. Adde tamen, quòd si potest probari, quòd casu vel aliqua occasione est facta dicta ruptura vel cancellatio, non revocatur; ut dictis juribus probatur. Quod limita & intellige, nisi Testator, Tabellio, vel Notarius salvavit ipsam rupturam vel interlineaturam, dicendo, quòd non noceat: quia tunc non censetur fieri revocatio: ita probat textus in leg. 1. §. 1. ff. de His, quæ in testament. delent. & tenet Bald. valdè notabiliter in leg. *Si unus. Cod. de Testament. colum. 2.* ubi dicit, quòd talis salvatio debet fieri ante signum Tabellionis. Unum tamen est, quòd si testator habet duo, vel plura testamenta ejusdem formæ & tenoris, & unum rumpat & cancellaverit, remanet aliud firmum & validum: textus est notabilis & expressus in leg. *final. ff. de His, quæ in testament. delent.* cujus ratio est; quia licet unicum sit testamentum in substantia, & dicantur scripturæ originales, ut in leg. *Unum. ff. de Testament.* tamen fiunt & sunt plura quoad probationem; & ideò videtur tantum renuntiari probationi illius scripturæ per cancellationem, non verò probationi alterius. Quòd tamen intelligo, quando utraque scriptura est æquè principalis & originalis: secus verò si una sit penès Tabellionem tamquam originalis, & alia sit penès testatorem transumpta, & illam rumpat; quia vitiat & revocatur testamentum, licet originalis sit penès Tabellionem sine ruptura vel cancellatione: ita singulariter Paul. in leg. *Nostram. Cod. de Testament. quest. fin.* licet Angel. ibi teneat contrarium. Ex quibus infertur, quòd si creditor rumpat instrumentum debiti, vel tradat debitori; videtur remittere debitum: textus est in leg. *Si chirographum. ff. de Probat. text. in leg. Inductum. Cod. de Solut. text. in leg. Labeo. ff. de Pactis.* ubi latè vide Glossam, & DD.

Secundò modo revocatur testamentum, per secundum legitime factum: text. est in leg. 1. ff. de Injust. rupt. text. in leg. *Cum in secundo. eod. tit. text. in leg. Si quis priore. ff. ad Trebellian. text. in leg. Si quis eum. §. fin. ff. de Vulg.*

& pupil. text. in §. *Posteriore. Instir. Quib. mod. testament. infirmant. text. in leg. 22. tit. 3. partit. 6.* Quod extende, ut procedat & habeat locum etiam si hæres institutus in secundo testamento non adiverit hæreditatem, quia noluit, vel quia non potuit, vel quia decessit in vita testatoris: quia solum attenditur, quòd secundum testamentum valeat, & sit perfectum & solemnè, & ex eo possit hæreditas adiri, licet ex aliquo casu non sit adita: text. est in dict. §. *Posteriore.* cujus verba sunt: *Posteriore quoque testamento quod jure perfectum est, superius rumpitur: nec interest exiterit aliquis hæres ex eo, an non: hoc enim solum spectatur, an aliquo casu existere potuerit:* & ibi Glossa ordinaria, & communiter DD. Quod singulariter limita & intellige, quando in primo testamento non reperitur clausula derogatoria secundi testamenti: secus tamen est si reperitur aliqua clausula derogatoria secundi vel ulterioris testamenti; ut quia testator in primo testamento dixit, *si postea aliud testamentum fecero, nolo valere*, vel similia verba: quia tunc secundum testamentum non valet, sed tantum primum: textus est capitalis, & expressus, in leg. *Si quis in principio testamenti. ff. de Legat. 3.* & ibi latè & magistraliter Bart. & commun. DD. text. in leg. *Si mihi & tibi. §. In legatis ff. de Legat. 1.* & ibi etiam commun. DD. text. in leg. 22. tit. 1. partit. Cujus ratio est, quia in dependentibus ab animo & voluntate unius, sola protestatio tollit actum sequentem & vires ejus: text. est in leg. *Qui in aliena. §. final. ff. de Acquirend. hæred.* & ibi Bart. & communiter DD. text. in leg. *Et si quis. §. Plerique. ff. de Relig. & sumpt. funer. text. cum materia, in leg. Nesennius. ff. de Neg. gest. text. juncta Glos. & communi opinione, in leg. Alimenta. Cod. eod. tit. & in expressò istam rationem ponit Bart. in leg. *Non solum. §. Morte. ff. de Novi oper. nuntiat. colum. 4. num. 27.* Cuman. & alii DD. in dict. leg. *Si quis in principio testamenti. ff. de Legat. 3.**

93 Quod tamen limita & intellige, præterquam si in secundo testamento contineatur revocatio prioris clausulæ derogatoriæ; ut quia testatur dixit: *Valeat istud secundum testamentum, non obstantibus quibuscumque verbis derogatoriis positis in primo testamento:* cujus ratio est, quia nemo potest legem sibi dicere, à qua non liceat recedere: text. in leg. *Si quis in principio testamenti. vers. Nemo enim. ff. de Leg. 3.* & ibi Glossa ordinari. Bart. & communiter DD. text. in leg. *Divi. §. Licet.*

juncta Glossa ordinaria & communi opinione. ff. de Jure codicill. (1)

Pulchrum tamen & necessarium dubium est, 94 an requiratur fieri expressa & specialis mentio prioris clausulæ derogatoriæ, an verò sufficiat generalis? In quo resolutivè dico, quòd si prima verba derogatoria fuerunt simplicia, & generalia; ut quia dixit testator: *Si aliud testamentum fecero, nolo valere:* tunc sufficit quòd in secundo testamento ponatur revocatio simplex & generalis, dicendo: *Hoc secundum testamentum volo valere, & revoco primum testamentum pro me factum:* Si verò prima verba derogatoria fuerunt specialia, vel particularia; ut quia dixit: *Si aliud testamentum fecero, nolo valere, nisi in eo sit scripta talis oratio, vel talis clausula:* tunc requiritur specialis revocatio illius voluntatis, dicendo: *Hoc secundum testamentum volo valere & revoco primum per me factum, non obstantibus quibuscumque verbis derogatoriis ibi positis:* neque requiratur specificè & individuò specificare, vel declarare illa verba; argumento text. in dict. leg. *Si quis in principio testamenti.* ubi dicitur, quòd sufficit specialis revocatio prioris voluntatis: (m) ergò non requiritur singularis, specifica, vel individua: & in expressò ita tenet & declarat Bart. in dict. leg. *Si quis in principio testamenti. ff. de Legat. 3. colum. 3. num. 8.* & ibi Cuman. & alii DD. Angel. de Perus. in leg. *Si mihi & tibi. §. In legatis. ff. de Legat. 1.* & ibi Paul. de Castr. Alexand. & Socin. notabiliter & melius quàm alibi, *Collat. 3. versic. Tercia, & ultima est clausula derogatoria.* Jason. colum. 4. versic. *Secunda principalis conclusio.* Bald. & Modern. in leg. *Sancimus. Cod. de Testament.* Quod extende, etiam si in primo testamento dicat testator, quòd non possit illud revocare etiamsi in testamento reperiat revocatio prioris clausulæ derogatoriæ: ita Bart. & DD. ubi supra.

Item adde, quòd si in primo testamento sit 95 appositum juramentum, licet testator possit illud mutare vel revocare per secundum, quia est contra bonos mores, quia auferret libertatem testandi; argumento textus in leg. *Stipulatio hoc modo concepta ff. de Verbor. oblig. adeò quòd non esset perjurus ex prædicta ratione; argumento text. in cap. Non est obligatorium. de Regul. jur. in 6. secundum Bart. in dict. leg. *Si quis in principio testamenti. colum. penult. & in leg. Si quis Inquilinos. §. final. de Legat. 1. & in leg. Si fratres. alias, Cum duobus. §. Idem respondit. ff. Pro socio. & secundum Petr. Cyn. &**

(1) Alio etiam modo limitat Gom. Arias hic. num. 71. ut puta, si testator instituat personam valdè dilectam: nam sicut affectio habet vim clausulæ codicillaris, ut testatur ipse Gom. Arias ubi supra, in princip. num. ita etiam habet vim revocationis clausulæ derogatoriæ in primo testamento contentæ.

(m) Ut tenet Gom. Arias hic. num. 77. in princip. quem omnino vide. Anton. Gomez. in Leg. Tauri. D 3

& Antiquos, in leg. 1. Cod. de Sacros. Eccles. licet contrarium teneat Joan. Andr. cap. Quod semel. de Reg. jur. in 6. & late Imol. in cap. Cum contingat. de Jurejur. column. 25. idem Imol. in dict. leg. Si quis inquilinos §. fin. ff. de Legat. 1. Tamen illud juramentum habet vim clausulae derogatoriae; & non potest primum testamentum per secundum tolli, nec revocari, nisi expressé fiat mentio de primo, illud revocando, ac si haberet clausulam derogatoriam: quia juramentum appositum in aliquo actu, contractu, vel testamento, semper operatur ut valeat eo modo quo melius valere potest: textus est singularis & unicus in leg. Cum pater. §. Filius matrem. ff. de Legat. 2. secundum Bald. Imol. & alios ibi: (n) Ergo in nostro casu peretur praedictam clausulam derogatoriam; ut non aliter secundum testamentum valeat, nisi expressé primum sit revocatum: & in terminis per illum textum illam sententiam & conclusionem tenet Bart. in dict. leg. Si quis in principio. column. final. num. 15. D. Segur. ubi valde commendat, in Re-petitione leg. Filius dum in civitate. ff. de Verbor. obligat. column. 10. versic. Ex hoc inferitur.

97 Tertio modo revocatur primum testamentum perfectum, per secundum testamentum minus perfectum cum quinque testibus, in quo sint instituti venientes ab intestato: textus est singularis & unicus in leg. Hac consultissima. §. Si quis autem. Cod. de Testam. quem ad hoc notat & commendat ibi Glossa ordinaria, Bart. Alber. Cyn. Bald. & communiter DD. & est mirabilis, & unicus secundum Paul. & Jason. & reputat singularem & unicum Angel. de Perus. in leg. Si filius qui in potestate. ff. de Liber. & posthumus. column. 2. & idem disponit hodie lex 22. versic. fin. tit. 1. partit. 6. Unum tamen est, quod isti venientes ab intestato, instituti in secundo testamento, non succedent ex testamento, sed tantum ab intestato; & institutio eorum solum operabitur ut rumpatur & annulletur primum testamentum perfectum & legitime factum: & ita communiter tenent & declarant DD. ibi. Sed contrarium expressé disponit hodie praedicta lex Partit. imò, quod succedant ex testamento.

98 Item adde, quod isti venientes ab intestato, vocati in secundo testamento, debent esse proximiores in gradu, non verò remotiores: ita Bart. in leg. Si duobus. §. Si prius. in fin. ff. de Bonor. possess. contr. Tabul. & tenet Paul. Alexand. & Jacob. in dict. §. Si quis autem. Confirmatur ex Glossa unica & ejus conclusione in leg. Non justam. Cod. ad Trebell. ubi dicit, quod licet venientes ab intestato videantur succedere ex tacita mente de-

functi, ut in leg. Consciuntur. de Jur. e codicill. tamen debent esse proximiores, & non alii remotiores: & ad hoc notant & commendant communiter DD. ibi. & reputat mirabilem Bald.

Item adde, quod praedicta procedunt, quando in primo testamento est institutus extraneus: secus verò si essent instituti venientes ab intestato primi gradus, vel saltem, unus eorum; quia tunc per secundum testamentum imperfectum coram quinque testibus, in quo sint instituti venientes ab intestato, non tollitur primum: ita Glossa notabilis ordinaria in leg. Si filius qui in potestate. ff. de Liber. & posthum. in gloss. final. quam ibi sequuntur communiter DD. & reputat singularem Cuman. Alexand. & Jason. & similis Glossa est in §. Ex eo autem solo. Instit. Quib. mod. testam. infirm. pro quibus est textus formalis in dict. §. Si quis autem. in vers. 1. quem ibi notat, & non ponderat Aretin. & Jason. Item etiam praedicta procedunt, etiam si venientes ab intestato vocati in secundo testamento, sint instituti ex disparibus partibus: quia etiam isto casu rumpitur primum testamentum, & vocati & instituti in secundo testamento succedent ab intestato inaequaliter ex voluntate defuncti: ita Alexand. in dict. §. Si quis autem. column. penultim. num. 9. & ante eum Fulg. ibi.

Item adde, quod in secundo testamento debent esse vocati & instituti omnes venientes ab intestato primi gradus, & non sufficit quod unus tantum sit vocatus & institutus: ita Cuman. in dict. leg. Si filius qui in potestate. & tenet Fulgos. Alexand. & Jason. in dict. §. Si quis autem: licet Aretin. teneat contrarium in dict. leg. Si filius. column. 6. pro quo videatur praedicta lex Partit.

Advertendum tamen, quod praedicta procedunt de jure communi; tamen de jure Regio tantum possunt intelligi & habere locum in testamento in scriptis, attenta ista nostra leg. 3. Tauri. Sed nullo modo possunt intelligi & praticari in testamento nuncupativo: nam cum in eo de jure nostro regio semper requirantur tres testes cum Tabellione, vel quinque sine eo, ut supra dictum & declaratum est; secundum testamentum necessario debet istam solemnitatem continere, & per consequens erit testamentum perfectum, cum non possint pauciores quam quinque ibi intervenire, & semper revocabit primum, modo sint instituti consanguinei, modo extranei. Nec obstat si dicas, quod tali casu in secundo testamento sufficiant tres testes sine Tabellione, quando in eo sint instituti venientes ab intestato; cum hoc casu

(n) Id etiam affirmat Gom. Arias hic. num. 76. & non tolli primum per secundum testamentum, nisi mentio primi specialiter fiat, in quo juramentum, defendit ubi supra num. 75.

ex numero testium possint tolli & diminui duo testes: Quia respondeo, & teneo, quod non sufficiunt, nec possunt tolli & diminui praedicti duo testes: quia text. in dict. §. Si quis autem. pro forma requirit, quod in isto secundo testamento interveniant quinque testes singulares: Item etiam argumento doctrinae Bart. & communis, in leg. 2. de Legat. 1. column. final. ubi dicit, quod lex diminuens solemnitatem testamenti, non videtur diminuire solemnitatem codicillorum: ergo nec videatur sublata in nostro casu. Confirmatur ex nostra leg. 3. Tauri, quae disponit, quod in codicillis requiratur eadem solemnitas quae requiritur in testamentis. Item confirmatur ex nostra leg. 3. Tauri, quae habet, quod in testamento inter liberos requiratur eadem solemnitas quae requiritur inter extraneos.

101 Ex quibus singulariter inferitur, quod si quis nullo prius facto testamento, facit testamentum imperfectum coram quinque testibus us, in quo instituat venientes ab intestato proximiores; valebit talis voluntas & dispositio: ita singulariter tenet Socin. dicens, quod est nova & subtilis consideratio, in leg. Si filius qui in potestate. ff. de Liber. & posthum. column. final. & Quast. Quod intellige & declara, quando sint instituti inaequaliter: quia aliàs nullius esset utilitatis & effectus; cum necessario ipsi deberent succedere ab intestato aequaliter in hereditate defuncti. Sed attende subtilius, quod ista sententia & conclusio non potest procedere: quia praedicti venientes ab intestato, instituti in secundo testamento minus solemniter coram quinque testibus, non veniunt nec succedunt ex testamento, sed tantum ab intestato; & tantum operatur, quod rumpitur testamentum perfectum prius factum, in quo reperitur institutus extraneus; ut supra dictum & declaratum est. Sed posset procedere & habere locum hodie, stante leg. Partit. supra allegata, qua disponitur, quod succedunt ex testamento: Sed attento jure regio magis novo Ordinamenti, quo cautum est, quod in testamento nuncupativo sufficiant tres testes cum Tabellione, vel quinque sine eo; nullo modo nec casu potest habere locum. Potest tamen verificari & habere locum in testamento in scriptis, per istam nostram leg. 3. Tauri, qua cavetur, quod semper in testamento in scriptis requirantur septem testes: nam isto casu, si essent instituti venientes ab intestato primi gradus inaequaliter coram quinque testibus, tantum valeret inter eos: Sed adhuc isto casu ista sententia, & conclusio non procederet nec haberet locum: quia in testamento in scriptis, etiam inter filios vel venientes ab intestato, requiruntur septem testes per nostram leg. Tauri. Unde, nullo casu de jure communi, nec regio, potest procedere nec habere locum nova opinio Socin. Quod

bené nota: quia est valde subtile, & alibi non tactum.

Secundò inferitur, quod si reperiantur duo testamenta diversa, ab uno eodemque testatore facta, & non constet de prioritare, vel posterioritate; licet de jure communi nullum valeat neque teneat, tamen si in uno sint instituti venientes ab intestato, illud pravalet & debet servari: ita Bart. in leg. 1. §. Non autem. ff. de Bonor. possess. secundum Tabul. argumento text. in dict. §. Si quis autem. Ex quo inferitur, quod licet de jure regio uterque haeres admittatur, ut suo loco dixi: tamen intelligatur si sunt extranei: si verò in uno sint instituti venientes ab intestato, illi admittantur.

Tertiò inferitur, quod si in primo testamento substituit pupillariter extraneum filio impuberi, & postea coram quinque testibus revocet testamentum, & instituat venientes ab intestato; tunc revocatur illa substitutio pupillaris, & succedent venientes ab intestato ipsi pupillo: ita Bart. in dict. §. Si quis autem. & ibi Paul. Alexand. & Jason. idem Bart. in leg. 2. ff. de Injusto rupto. Quarto infero, quod si hodie testator instituat filium naturalem tantum (quod potest facere, licet habeat patrem vel matrem: ut in leg. 10. infra, ist. legib. Taur.) & postea in secundo testamento imperfecto coram quinque testibus instituat patrem vel matrem, vel alios successores ab intestato, cum non haberet patrem vel matrem: tunc, illud secundum testamentum minus solemne tollit primum, & succedunt venientes ab intestato: Quod est novum & singulare. Vide infra in Comment. ad dict. leg. 10.

Quarto modo potest quæri, an testamentum legitime factum revocetur per verbalem revocationem, & voluntatem contrariam testatoris; quia testator coram legitimo numero septem testium, vel hodie quinque, dixit, quod nolebat valere primum testamentum solemne? Et certè videtur, quod non revocetur, nec sufficiant illa verba revocatoria testatoris, ex eo quod non continent institutionem aliquam, & sic non dicitur secundum testamentum solemne; Item etiam, quia non reperitur haeres, cujus additione confirmetur illa secunda dispositio, & revocatio: & in terminis ex his rationibus ita tenet singulariter Bart. in leg. Si jure. ff. de Legat. 3. column. 2. Aret. in leg. Haeres palam. §. Si quid post. ff. de Testament. Paul. de Caltr. in leg. Haeres. Cod. de His quib. ut indign. column. 2. num. 2. Idem Paul. in leg. Sancimus. Cod. de Testament. & ibi Alexand. Jason. & Modern. Alexand. in leg. Si ita scriptum. §. Regula. ff. de Liber. & posthum. column. 2. Bald. in leg. 1. Cod. de Sacrosanct. Eccles. penultim. colum. Joan. de Imol. in cap. Cum esses. de testament. column. 9. quast.

quæst. 7. Contrarium tamen tenet Bald. in dict. leg. Sancimus. Cod. de Testament. column. 1. imò, quòd per talem verbalem revocationem revocetur primum testamentum perfectum testatoris; quia aliàs esset valde iniquum, quòd contra voluntatem expressam testatoris quis succedat in hæreditate ejus: & idem tenet Imol. sibi contrarius, in leg. Si ita scriptum. §. Regula. ff. de Liber. & posthum. Salic. verò relinquit indecisum & cogitandum in dict. leg. Sancimus. 2. column.

Sed in hoc dubio articulo, prima opinio est verior, & magis communis: Pro qua primò facit text. in §. Ex eo autem solo. Instit. Quib. mod. testament. infr. ubi dicit text. quòd eo solo quòd testator noluit valere testamentum, non annullatur. (o) Secundò facit text. in leg. Multis codicillis. §. Veteranus. ff. de Testament. milit. Tertio facit text. in leg. Hæredes palam. §. Si quid post. ff. de Testament. ubi habetur, quòd solemnitas quæ requiritur in actu constituendo, requiritur in destruendo. Quarto facit text. in leg. 1. ff. de Injust. rupt. Quintò facit text. in leg. 1. §. Si hæres. ff. Si Tabul. testament. null. extat. Sextò facit text. in dict. leg. Sancimus. Cod. de Testament. ubi expressè disponitur, quòd per verbalem revocationem testatoris, ad minùs coram tribus testibus factam, & post lapsum decennium, rumpitur primum testamentum: ergò si non labatur decennium post talem revocationem, non sufficit sola & simplex revocatio, etiam coram mille testibus: & ille textus in sua principali decisione est singularis & unicus, secundum Paul. Jason. & Moderni. ibi. Confirmatur etiam ratione, quia dispositio utilis & perfecta non tollitur per sequentem inutilem & imperfectam, ex quo jus alteri quæri non potest: text. in leg. Nec utilem. ff. Ex quibus caus. major. text. in leg. Si jure. ff. de Legat. 3. text. in leg. Cum quis. §. Si debitorem ff. de Solutionib. text. in leg. Si absentis. in fin. Cod. Si cert. petat. text. in leg. Vir uxori.

(o) Eamdem sequitur Covarrub. de Testament. 2. part. Rubric. num. 21. versic. Hinc ergo. Bald. Cons. 354. libr. 5. Mayner. in leg. Quamdiu. num. 109. ff. de Regul. jur. Guillelm. Benedic. in cap. Raynutius. verb. Testamentum. num. 8. Quod, etsi secundum testamentum primum expressè revocaverit, obtinet, secundum supra allegatos, & Jason. in leg. Planè. in princ. ff. de Legat. 1. Menchac. de success. creat. lib. 2. §. 17. 72. & 73.

(p) Vide Matienz. in leg. 2. tit. 4. gloss. 10. num. 8.

(q) Vide eundem Matienz. ubi supr. num. 8. & alios plures congerentem.

(r) Hanc tertiam limitationem communem approbari, testatur Menchac. de Success. creatione, lib. 2. §. 17. num. 73. ad fin. Guillelm. Benedic. in cap. Raynutius. de Testament. 2. part. num. 18. Hodie verò non est necessarius decennii transcursus; cum jure regio secundum testamentum revocans primum omninò valeat, etiam ante decennii cursum, ut docetur numero sequenti, & latius Matienz. in dict. leg. 2. gloss. 10. num. 7. ubi alios plures ejusdem opinionis AA. allegat.

(s) Hæc verò quarta limitatio de jure regio procedit, secundum Matienz. in leg. 1. tit. 4. lib. 5. Recopilat. gloss. 10. num. 44. ubi etiam num. 9. aliam quæstionem, ex qua hujus limitationis resolutio pendet, tractat; utrum scilicet legata in minùs solemnè testamento relicta, sint ab hærede in foro conscientie solvenda.

ri. versic. Sed si promissor. ff. de Donat. inter vir. & uxor. text. in leg. Si me in vacuum. in fin. ff. de Acquirend. possess. Sed ista secunda voluntas & dispositio testatoris non est valida neque perfecta, cum in ea non contineatur hæredis institutio: Ergò per eam non revocetur vel annulletur primum testamentum perfectum & solemnè: & principaliter in hac ratione se fundat communis opinio.

Quam tamen communem opinionem limita, nisi testator quando revocavit testamentum dixit, quòd habebat hæredem institutum indignum & demeritum: quia tunc revocatio verbalis sufficit, & hæres institutus erit hæres, sed aufertur ab eo hæreditas & applicatur fisco: text. est notabilis, & iste est ejus proprius casus, in leg. Hæreditas. Cod. de His, quæ ut indign. (p) imò, tali casu sufficiunt duo vel tres testes: ita Bart. in leg. final. ff. Si quis aliquem testa. prohib. Bald. in leg. Nostram. Cod. de Testament. & est lex 23. tit. 1. partit. 6. licet illa requirat quinque testes. Secundò limita, nisi in revocatione dixit, quòd instituebat venientes ab intestato; vel, quòd volebat mori ab intestato: quia tunc revocatur primum, etiam si coram quinque testibus tantum hoc dixit; argumento text. in leg. Hac consultissima. §. Si quis autem. Cod. de Testament. de quo textu supra late dictum est; & argumento textus in leg. Si quis ita hæres instituatur, si legitimus. de Hæred. institut. & ita tenet Bart. in leg. Multis. §. Veteranus. de Milit. testament. & in dict. Leg. Si jure. (q) Tertio limita, nisi post talem revocationem transeat decennium: quia tunc tollitur & annullatur primum testamentum: textus est singularis, & unicus, in dict. leg. Sancimus. de quo supra proximè dictum est. (r) Quarto limita, nisi in foro conscientie: quia hæres institutus in primo testamento non est securus in conscientia; cum non habeat voluntatem testatoris: ita Bald. in leg. 1. Cod. de Sacrosanct. Eccles. penultim. column. (s)

Ad

Advertendum tamen, quòd licet ista opinio sit vera & communis de jure communi, tamen de jure regio noviter & subtiliter teneo, quòd ista sola & simplex verbalis revocatio testamenti tollat & annullat illud, etiam nulla facta institutione, nec interveniente aliqua causa de contentis in superioribus limitationibus: & hoc per leg. 1. tit. De los Testamentos, lib. 5. Ordinament. ubi dicitur & disponitur, quòd si testator ordinavit suum testamentum coram legitimo numero testium, valet & tenet illud testamentum, & omnia in eo contenta, licet aliquis hæres non sit institutus: (t) ergò eadem ratione hodiè valeat & teneat ista revocatio coram legitimo numero testium; cum ad ejus confirmationem non requiratur aliqua institutio hæredis, nec aditio hæreditatis; & solemnitas quæ requiritur vel sufficit in actu constituendo, requiritur & sufficit etiam in actu destruendo: argument. text. in leg. Hæredes palam. §. Si quid post. ff. de Testam. maximè, quòd isto casu aperte colligitur quòd testator voluit mori ab intestato, & tacite videtur vocare venientes ab intestato, & eorum favore revocare testamentum; argumento textus in leg. Conficiuntur. ff. de Jure codicill. cum simil. Nec obstat si dicas, quòd illa lex Regia procedat in voluntate defuncti dispositiva, putà, in legatis, fideicommissis, vel similibus; non tamen in voluntate revocatoria, ut in nostro casu: Quia certè in eo, eadem ratione, & à fortiori habet locum, ut dixi & fundavi.

Item quæro, si testator incepit facere testamentum, & aliqua disposuit, putà, institutionem, vel aliqua legata; & dum circa aliqua versaretur, antequam ultimè completeret testamentum, mortuus est, vel amisit sensum, vel loquelam: an valeat & teneat in his quæ clarè jam disposuit? In quo magistraliter & resolutivè dico, quòd non, imò vitatur & annullatur in totum: textus est singularis in jure, in leg. Si is qui testamentum. ff. de Testament. cujus verba sunt: Si is qui testamentum faceret, primis hæredibus nuncupatis, priusquam secundos exprimeret obmuerisset, magis cepisse eum testamentum facere quam fecisse. Itaque primos hæredes ex eo testamento non futuros. Labeo tum hoc verum esse existimat, si constaret, voluisse plures hæredes pronuntiare. (u) quem ad hoc notat & commendat, Glossa ordinaria, Bart. Alb. Bald. Imol. Aret. & communiter DD. & reputat singularem Paul. de Castr. notat etiam &

commendat Petr. Cyn. Alb. Bart. Bald. Salic. & communiter DD. in leg. Jubemus. Cod. de Testament. probat etiam text. in leg. Ex ea scriptura. ff. eod. tit. text. in leg. Lucius. ff. de Milit. testam. text. formalis & expressus in leg. Furiosum. vers. 1. Cod. Qui test. fac. poss. & idem disponit lex 23. tit. 1. 6. part. Quod intellige, quando expressè constat quòd testator volebat alia disponere, addere, vel detrudere: quia tunc est imperfectum ratione voluntatis, & ideo non valet, sed in totum vitatur: secus tamen est in dubio, quando de hoc non constaret; quia testamentum valeret, & censeretur perfectum & consummatum: ita formaliter probat ibi text. dum dicit: Labeo tum hoc verum esse existimat, si constaret, voluisse plures hæredes pronuntiare. & ibi tenent & declarant Paul. Imol. & Aretin. Ex quo elicitur talis conclusio secundum eos: Quòd in dubio actus testamenti censeatur esse perfectus & consummatus. Nec obstat text. in leg. penultim. Cod. de Instit. & substit. ubi habetur, quòd si testator dixit, quòd instituebat hæredes secundum conditiones infra scriptas, & postea mortuus est antequam aliquam apponeret, valet testamentum: Quia respondeo, quòd ibi testator complevit & absolvit totum testamentum, & visus est pœnituisse prioris voluntatis: Sed in nostro casu testator non perfecit, nec consummavit testamentum, sed morte est præventus antequam absolveret, vel consummaret: unde, licet nihil dixit, nec potestatus est, in dubio testamentum vitatur: ita tenet & declarat Glossa ordinaria in dict. leg. penult. Cod. de Instit. & substit. in gloss. 1. in 2. solutione. & ibi Bart. Paul. Alexand. & Jason. & Philip. Dec. Glossa etiam ordinaria in leg. Quotiens. §. Tantundem. ff. de Hæred. instit. in gloss. 1. in fin. & ibi communiter DD. facit etiam text. in leg. 2. eod. tit. ubi habetur, quòd si testator dixit, quòd instituebat hæredes in partibus infra declarandis, & postea non fecit, nec declaravit, sed habuit testamentum pro perfecto & absoluto, valet & tenet. Nec prædictis obstat etiam textus singularis & subtilis in leg. 3. ff. de Milit. testament. ubi habetur, quòd si miles cepit facere testamentum & non perfecit, valet & tenet: Quia respondeo, quòd ibi destinaverat & intendebat testari de jure communi, & morte præventus est, & tamen perfecit & complevit testamentum saltem de jure speciali, & jure militari, coram duobus testibus; & ideo valet & tenet, quia

(t) Elegans & pulchra est hæc opinio, quam etiam probat Burg. de Paz hic. num. 842. propè fin. Covarrub. de Testam. 1. part. num. ultim. vers. Sexta conclusio. Gregor. in leg. 11. tit. 1. partit. 6. gloss. 1. Matienz. in leg. 2. tit. 4. lib. 5. Recopilat. glos. 10. num. 6. qui omnes communiter receptam testantur.

(u) Vide Tell. eamdem sententiam tenentem, pluresque alios allegantem, hic, num. 18. in 2. part. Azeved. in leg. 2. tit. 4. lib. 5. num. 58.

quia respectu illius juris & solemnitate bene est perfectum: & in expresso ita tenet & declarat *ibi* Dec. Bart. Bald. & communiter DD. Idem Bart. *in leg. 1. ff. de Jure codicill. 3. column.* Ex quo text. cum communi sententia nota & collige, quod quando quis fecit actum, qui non potest valere de jure communi, sed tantum de jure speciali; videtur velle uti suo privilegio, ut valeat & teneat de illo jure speciali & privilegiato.

106 Et in tantum est vera predicta sententia & conclusio, quae habet, quod testamentum imperfectum ratione voluntatis non consumata est nullum, & in jam dispositis non valeat; ut procedat & habeat locum, etiamsi praecessit institutio, vel legatum ad pias causas: ita singulariter Paul. de Castr. *in dict. leg. Si is qui testamentum. ff. de Testament. 2. column. versic. Et eadem ratione.* & dicit, perpetuo esse menti tenendum: & idem tenet *ibi* Aretin. *final. column. in fin. Bald. in leg. 1. Cod. de Sacrosanct. Eccles. 2. lectur. antepenult. column. 6. quest. Joan. de Imol. in cap. 2. de Testament. 4. column. num. 22. & ibi Anchar. 3. column. numer. 10. Barb. in cap. Relatum. el. 1. eod. tit. 20. column. num. 25. Oldrad. in Cons. suis. cons. 19. (x) Licet contrarium velit Bart. in leg. In testamento. ff. de Fideicommiss. libertat. Abb. in cap. 1. de Success. ab intestato. 2. column. num. 2. Secundò & principaliter extende, ut procedat & habeat locum etiam in testamento inter liberos: & hoc est valde utile in casu quo sunt instituti inaequaliter, vel uni eorum est facta melioratio tertii & quinti, vel partis ejus: ista est Glossa singularis in jure *in leg. final. Cod. Fam. erisc. in verb. Nec impletum.* quam *ibi* ad hoc notat, & commendat Bart. Bald. Paul. Salyc. & communiter DD. Idem etiam voluit Gloss. *in dict. leg. Si is qui testamentum. ff. de Testament. in glos. final. & ibi* tenent Bart. Paul. Imol. & Aretin. tenent etiam Bart. Bald. & communiter DD. *in leg. Hac consultissima. s. Ex imperfecto. Cod. de Testament. Angel. de Aret. in s. Ex eo autem solo. Instituit. Quibus modis testament. infirm. Abb. in cons. 105. 2. volum. Roderic. Suar. in Repetitione leg. Quoniam in prioribus. Cod. de Inofficios. testament. fol. 89. 3. column. versic. Quarto quaro.* Neque obstat textus cum materia, *in dict. leg. Hac consultissima. s. Ex imperfecto. cum Authentic. sequenti, & in leg. fin. Cod. Famil. erisc. ubi* habetur, quod valet testamentum imperfectum inter liberos. Quia debet intelligi, quando erat imperfectum ratione solemnitate: secus verò quando esset imperfectum ratione voluntatis, ut in nostro casu; quia tunc non valet etiam in-*

ter liberos: & in expresso ita respondent Glossae ordinariae & communiter Doctores *ubi supra.* Tertio extende, ut procedat & habeat locum etiamsi in tali testamento esset posita clausula codicillaris: quia similiter non valebit intestato: ita probat textus notabilis *in leg. Ex ea scriptura. ff. de Testament. & ibi* Joan. de Imol. & alii DD. text. *in leg. Fideicommissa. s. Quotiens. ff. de Legat. 3. per* quae jura, ita tenet Bart. *in leg. 1. ff. de Jure Codicill. 2. 4. quest. Paul. de Castr. in leg. Si is qui testamentum. ff. de Testam. fin. column. & facit bonus text. in leg. Lucius. ff. de Milit. testament. Nec obstat text. in leg. final. versic. Illud quoque. Cod. de Codicill. ubi* habetur, quod omnia contenta in testamento nullo & imperfecto valent, & censentur repetita ab intestato, posita clausula codicillari: Quia debet intelligi, quando testamentum est nullum & imperfectum ratione solemnitate, non verò ratione voluntatis, ut in nostro casu: ita tenet & respondet Bart. *in dict. leg. 1. de Jure codicillor. 4. quest. & practici DD. ibi supra.* Ex quibus datur necessaria declaratio ad leg. 1. tit. 2. lib. 5. *Ordinament.* ubi disponitur, quod licet testamentum non valeat, conservantur legata, & omnia in eo contenta, ut debeantur ab intestato: Quia debet intelligi quando testamentum deficit ratione solemnitate, non verò ratione voluntatis.

Item quaro, si testator fecit testamentum 107 nuncupativum in scriptura publica, coram Tabellione & legitimo numero testium, & debita solemnitate; & complevit ultimam totum testamentum, tamen testator decessit & mortuus est antequam ei legeretur coram testibus; an valeat & teneat, & probet voluntatem defuncti? Et breviter & resolutivè dico, quod non: textus est singularis & unicus in jure, *in leg. Fideicommissa. s. Quotiens. ff. de Legat. 3.* quem ad hoc notat & commendat Glossa ordinaria Bart. Bald. & communiter DD. antiqui; & reputat singularem & unicum Alber. reputat etiam singularem Bald. *in leg. fin. Cod. de Sent. experic. recit. & per illum textum* ita tenet Bart. *in leg. Si is qui testamentum. ff. de Testament. 2. column. versic. Quod si testator.* & ibi Paul. de Castr. & alii DD. (y) Idem Paul. de Castr. *in leg. Hac consultissima. vers. At, cum humana. Cod. Qui testament. fac. pos. 2. column. & ibi* facit textus. Cujus ratio potissima est, secundum DD. *ubi supra:* quia si instrumentum vel scriptura non legatur, potest aliud continere quam testator dixit: pro qua sententia & conclusione considero singularem leg. *partit. 102. in fin. tit. 18. part.*

(x) Tenet etiam Burg. de Paz *hic. num. 23. Tell. Fernand. num. 18. & 19. in 2. part. Matienz. in leg. 11. gloss. 1. tit. 4. num. 1. lib. 5. Recopilat. Azeved. ibid. num. 61.*

(y) Idem tenet Azeved. plures congerens, *in leg. 2. tit. 4. num. 48. lib. 5. Recopilat.*

partit. 3. Imò, quod magis est, in dubio non praesumitur lectum, nisi probetur: ita Bart. Bald. & alii DD. *in dict. s. Quotiens.* Quod intellige, nisi Tabellio vel Notarius hoc dixisset, vel nisi in fine instrumenti vel scripturae reperiantur illa verba, quae solent apponi à Tabellionibus, scilicet: *quod factum & absolutum fuit, &c.* Quia tunc praesumitur & probatur esse lectum coram testatore; & per consequens valet & tenet: ita singulariter Bald. *in Authentic. Quod sine. Cod. de Testament. 2. column.* Et idem est in aliis quibuscumque instrumentis super contractibus: ita probat textus notabilis *in leg. Contractus. Cod. de Fide Instrument. ibi: Et postremò partibus absoluta sint.* quem ad hoc notat & commendat *ibi* Bald. 3. column. Angel. & communiter DD. probat etiam textus, qui non allegatur, *in leg. final. Cod. Plus valer. quod agit. &c. & ibi* DD. tenet etiam Bald. *in leg. Item queritur. s. fin. ff. Locati. 3. column.* pro qua sententia & conclusione considero leg. 54. *in fin. tit. 18. partit. & ita* practicitur.

108 Quod tamen intellige, in testamento inter extraneos: secus verò inter liberos, vel ad pias causas; quia valet licet non legatur: ita Bart. *in dict. leg. Si is qui testamentum. ff. de Testam. 2. column.* idem Bart. *in dict. s. Quotiens.* Jason. *in leg. Hac consultissima. s. Ex imperfecto. Cod. de Testament. column. 2. num. 3.* Joan. de Imol. *in cap. 2. de Testament. 5. column. Rom. in Authentic. Similiter. Cod. Ad leg. Falcid. 13. specialitate ultimarum voluntatum:* Ego tamen, salva eorum pace, teneo contrarium, imò, quod tale testamentum non valet, etiam inter liberos, vel ad pias causas; quia attenda superiori ratione, deficit potius ex defectu voluntatis, quam solemnitate. Unde, in hoc articulo resolutivè ego dicerem sic: quod si testamentum debet probari per solam scripturam absque publicatione testium, quia est factum manu publici Tabellionis; tunc procedat & sit vera superior opinio & conclusio, scilicet, quod nullo modo valeat, neque probet, nedum inter extraneos, sed etiam inter liberos, vel ad pias causas: quia isto casu propriè militat ratio superior: Si verò fiat in scriptura publica vel privata, & fiat publicatio, quia testes veniunt & deponunt de voluntate & tenore testamenti, & voluntate defuncti;

tunc valeat & teneat, tam inter extraneos, quam inter liberos, & ad pias causas: quia cessat ratio superior, & non deficit testamentum ex defectu voluntatis, neque solemnitate: Et hoc teneo pro firmo & æquo.

Item quaro, si quis interroget testatorem coram 109 testibus rogatis, an eum, vel alium per eum nominatum instituat; & testator expressè dixit, quod sic: an valeat & teneat institutio? Et breviter & resolutivè dico, quod valet, & talis hæres censetur rectè institutus, & consequitur hæreditatem defuncti. Quam sententiam & conclusionem primò probat text. *in leg. 1. s. Si quis ita interroget. ff. de Verbor. obligat. text. in leg. Si defensor. aliàs: Si sine. s. Qui interrogatus. ff. de Interrogat. in jur. faciend. text. in s. Praterè. Instit. de Inutil. stipul. text. in s. Quotiens. eod. tit. Secundò, text. in leg. Pamphilo. s. Propositum. ff. de Legat. 3. ibi: Etiam ipso testatore interrogato, an ea dixisset. Tertio, textus in leg. Nemo dubitat. ff. de Hæred. instit. Quartò, textus in leg. Hac consultissima. vers. At cum humana. Cod. Qui testament. fac. possunt. ibi: Quam susceptam testatori recitabit Tabellarius, simul & testibus... & elogium ipse suum profiteatur agnoscere, & ex animi sui quae lecta sunt disposuisse sententia. Quintò, textus notabilis in leg. final. Cod. Si quis aliquem testari prohib. ubi, verbis & blanditiis potest quis alium inducere ut eum instituat. Sextò, quia de jure naturali vel gentium est cui-libet liberum arbitrium testandi quomodo velit, & quomodo possit, dum tamen colligatur & intelligatur mens & voluntas ejus coram legitimo numero testium: text. est *in leg. 1. Cod. de Sacrosanct. Eccles. & ibi* communiter DD. & in expresso, istam sententiam & conclusionem tenet Gloss. notabilis & ordinaria, *in leg. Jubemus. Cod. de Testament. in verb. Quemadmodum. & ibi* Petr. Cyn. Jac. Butr. Alber. Jacob. de Bellovis. Richard. Mat. quos ipse Alber. refert, Bart. Angel. Salic. & Alexand. tenet etiam Bart. *in leg. Hæredes palam. finalibus verbis. ff. de Testament. & ibi* Imol. & Aret. idem Bart. *in leg. 1. s. Si quis ita. de Verbor. obligat. & ibi* Paul. & Modern. Joan. Imol. *in cap. Cum tibi. de Testament. 2. column. num. 3.* Joan. Andr. *in Addit. ad Specul. in tit. de Testament. s. In primis. vers. Quid si is. Angel. in leg. In fraudem. s.**

(z) Nimis controversa hæc est quaestio, tam inter antiquos, quam inter nostri temporis DD. Et prædictum testamentum non valere, tenuerunt plures, quos refert & sequitur Roderic. Suar. *in allegat. 1. fol. 6. column. 2. pag. 116. & plures*, quos refert Matienz. *in leg. 2. tit. 4. lib. 5. glos. 16. num. 5.* quam opinionem communem esse, testantur. Sed contraria sententia, quam Dominus meus sequitur, tum verior, tum etiam communior est; quam sequuntur cum multis quos referunt, Matienz. *ubi supra. num. 6. & Menchac. de Success. creatione lib. 2. s. 23. num. 52. & 54. Gregor. in leg. 6. tit. 3. part. 6. glos. 1. Socin. Junior Cons. 173. num. 2. lib. 2. Duën. in l. Sua allegat. num. 5. & sequent. Menes. in leg. Eam quam. Cod. de Fideicommiss. num. 83. Azeved. in leg. 1. tit. 4. lib. 5. Recopilat. num. 163. & eleganter Menoch. cons. 45.*